

THESES,

QUAS,

CONS. AMPLISS. FAC. PHIL. IMP. UNIVERS.
LITT. ABOËNS.

STIPENDIARIIS

EXERCITII GRATIA EXAMINANDAS,

In Aud. Philos. die VI Octobr. a. MDCCCXXIV
h. a. m. f.

PROPONIT

Mag. FREDR. WILH. PIPPING,
Hist. Litt. Prof. & Biblioth. Ordin.
Eques Ord. Imp. de S. Vladimiro in IV:a Classe,

RESPONDENTE
GUST. WILH. HOMËN,
Stip. Publ. Satac.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIORUM.



Thesis I.

Quantamcunque ab omnibus recentioris ætatis gentibus, Europæi maxime orbis, gratiam merito inierint Arabes, antiquarum litterarum restauratores Medio Ævo studiosissimi felicissimique, & quantumvis lætum apud eos aliquot sæcula floruerit scientiarum, cum per se præstantissimarum, tum generi humano utilissimarum, studium plurimarum; caveamus tamen ne magnifica & vere admiranda fascinati successus illius specie, pretii plus justo vel operæ eum efficienti, vel vi eidem propriæ, statuamus, expeditam ita litterarum summai existimantes, indolem usquequaque beneficam studiis inclyti hujus populi tribuentes & prospera litterarum hodie cultarum fata omnia inde derivantes.

Thes. II.

Rapidissimo enim cursu a rudibus infantiae initii ad exquisitioris culturæ usum proruens quamvis exspectationem & fere fidem vicerit hæc gens, penitus tamen qui brevissimo admodum temporis spatio sic enatum litterarum florem scrutatus fuerit, caduci & infoecundi signa facile reperiet, qualia esse solent plantæ exoticæ, pinguedine terræ, caloris vi & curæ fervore in altum cito surgentis, natalis autem soli coelique temperiem desiderantis, adeoque maturæ frugis plerumque expertis breve que marcescentis, verbo, non naturæ sed artis beneficio aliquamdiu lætæ.

Thes. III.

Thef. III.

Licet namque facilitate naturæ ad liberales artes invitarentur ingenia Arabum docilia, ingenuo tamen scientiæ amore minus quam variis levitatis illecebris concitati plurimi eorum, vanæ gloriæ præmiorumque desiderio tantum dedisse videntur, ut mercenariæ potius quam liberali operæ tribuas litterarum his cultoribus florentium plurimas.

Thef. IV.

Nec ideo mireris, quod quamprimum vertente imperii fortuna cessaverint stimuli multi fortisque, externi, animos ad doctrinæ studia, ut ad multa præclara facta antea excitantes, litterarum quævis genera institutaque mox declinaverint, neque lentius deinde defluxerint, quam progressio illa admirabilis ad excellentiam omnem facta prius fuerat.

Thef. V.

Eodem ex fonte derivanda videtur causa, cur dum quibusdam scientiis diligentissimam eam dederint Arabes operam, qua lætissimæ florerent, aliae reliæ intactæve plane jacuerint; nec minus eo eventit, quod quantumvis late multis multorum studiis disseminarentur litteræ variæ, vix tamen universa earum copia creverit, & parum lucri, inter accessiones unde novæ certioresque ad notiones rerum investigandas viæ reperirentur numerandi, humanum genus ceperit.

Thef. VI.

Præjudiciis præterea variis, ex ingenio, sentiendi ratione, cultu religioso, atque moribus gentis ortum ducentibus, & haud parum impedimenti dampnique studio litterarum inferentibus, factum etiam est, ut neque artes ab eadem receptæ, præprimis probatæ summoque in honore positæ, vincula non sentirent, liberali earum natura minime digna eoque magis successum earundem retardantia, quo longius a rebus populi, cui acceptas eas retulerunt Arabes, horum omnia fere distabant.

Thef. VII.

Thef. VII.

Neque in colligendis atque interpretandis Græcorum scriptis posita Arabum cura, quamvis præclara certe & nunquam non laudanda, tanti ad litteras illorum servandas atque propagandas fuit momenti, quanti primo intuitu æstimari solet. Præterquam enim quod non tam conservandarum Græcarum litterarum, quam rerum Græco sermone propositarum scientiæ inde hauriendæ causa, sedulo collecta scripta antiqua lustraverint Arabes, exsequendi hujus consilii ratio ipsa cladem operibus Græcorum intulit, vel saltem ad interitum eorum accelerandum haud parum contulit.

Thef. VIII.

Omnia autem hæc quamvis quidem irpediant, quominus omnibus suis numeris expleta censeatur quam litteris dederunt Arabes opera, a justis tamen iisque maximis nil detrahunt gratiis laudibusque, genti huic nunquam non habendis, quæ una fere omnium suo tempore, multa circumfuso caligine multisque laborante obstaculis, docilem adeo Camenarum modis ac vocibus præbuit aurem, ut non tantum ipsa brevi mitesceret, sed etiam faces universo terrarum orbi mox præferret, suo exemplo suaque opera litterarum excitans studia, frugum posteritati magis quam ipsi utilium feracissima.
